



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. An in judiciis æquivocare cum iuramento, aliis à Reo liceat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPUT IV.

De Iuramento Iudiciali.

1. **T**ria hic discutienda propono, (cetera enim huc spectantia, vel sparsim in toto tractatu satis habentur, vel propria sunt fori externi, quae videri possunt apud Laym. *hic*, Doctoresque ab ipso citatos.) Primum, An in contractibus aequivocare homini liceat, huc enim id redit, cum contractus & publici sit fori, & initium iuramenti. Secundum, an liceat aequivocare aliis à reo, v.g. testi. Tertiū, an ipsi reo.

§. I. An in contractibus cum iuramento aequivocare, vel sibi jurare liceat.

1. **C**ertum est neutrum licere, idque sub gravi culpa, si inde notabile damnum alteri iniuste nascatur; cerūque est, ut saepius supra per occasionem dixi, iurantem debere omnia damna ob causam sui iuramenti dolosi alteri obvenientia refarcire: ita Sayr. in clavi. lib. 5. cap. 4. & passim Doctores. Ratio est manifesta quia tunc contra iustitiam agitur, dum socius deluditur.

2. Dixi primò (notabile) si enim leve, levis erit & culpa. Ita Sanch. lib. 3. in dec. c. 7. n. 1. Bonac. d. 4. de iur. g. 1. p. 12. a n. 7. & 8. Huc, quia dolose in contractu iurans, semper in iudicio habebitur, ac si verè jurasset, quia forum externum solum considerat ipsa externa iuramenti verba: idè ex hoc capite difficulter notabile damnum, alteri fiet, unde graviter peccetur. Propter eandem rationem (ut id hac occasione innuam, quod mox disputabo distinctius) idem erit coram Superiore, quidquid contra sentiat Cast. rom. 3. in 1. 4. de iur. d. 1. p. 8. n. 5. fin. nec enim graviter Superioris potestas offenditur, modò falsum non iuretur, & modò ut verum in foro externo iuramentum habeatur.

3. Dixi secundò (iniuste) si enim iuste, ad iustam, v.g. compensationem sic iurares, mortaliter non delinqueres, immò nec venialiter, si causa aequivocandi adesset, ut ex superioribus patet. Ratio est, quia tunc nec contra Religionem peccas, nec contra iustitiam: si quidem, data aequivocatione, Deum verè cum falsitate non invocas, & nullo supposito damno, nullam proximo injuriam inferis.

4. Hinc in contractu promissionis sive liberalis, sive onerosae in contractu mutui, sponsalium, venditionis, emptionis, &c. si quis contraheret cum iuramento aequivoco, vel ficto, iustam habens causam sic suis rebus, sine alterius iniusto damno, consulendi; immūis esset à culpa, cum nil committeret contra Religionem, vel iustitiam; immò nec contra fidelitatem, iusta existente causa simulationis.

§. II. An in Iudiciis aequivocare cum iuramento aliis à reo liceat.

1. **C**onveniunt Doctores non licere, si iudex aggrè interroget. Ratio communis, & vera est, quia ob bonum publicum testes tenentur parere suo Superiori; qualis est legitimus Iudex. Quando autem testis legitime interrogari dicendus sit, non est huius loci, colligitur tamen ex mox dicendis, & fuse Sanch. in conf. lib. 6. cap. 3. d. 36. & cap. 5. d. 5. de Lugo tom. 2. de iust. d. 40. sect. 1. num. 8. alique. Si verò non legitime procedat, vel quod in idem recidit, Iudex legitimus non est, licere cuilibet uti aequivocatione, conveniunt item omnes, quia tunc Superior non est, adeoque non necessariò illi parendum. Ita Sanchez, de Lugo, Cast. mox citandi, & passim.

2. Hinc testis interrogatus à iudice de occulto crimine alicujus, vel de crimine, de quo non tenetur testificari, ut quia, v.g. notabile damnum sibi sequeretur:

Sanchez lib. 3. in dec. c. 13. n. 1. Castro Pal. tom. 3. tr. de iur. i. p. 1. num. 1. & passim. Hinc si quid iurasti humani, nam de voto, vel iuramento Deo praestito dicemus mox infra, c. 1. §. 4. tuus haec non obligatur, te mortuo, illud ex vi Religionis observare, etiam si iuraveris pro te, & tuos Successoribus. Ratio est, quia non potest quis contrahere obligationem ex vi iuramenti, nisi habeat intentionem iurandi, de quo etiam iuramenti nunquam habuit intentionem iurandi: at Successor nunquam habuit intentionem iurandi, ergo, &c. unde vides rectè ab authoribus obligationem iuramenti appellari personalem.

3. Dixi (ex vi Religionis) nam ex alio vinculo potest contrahere obligationem haeres, hoc autem solè vel ratio contractus, vel ratio statuti. Prioris exemplum est: Si tu equum cum iuramento vendidisti Petro acceptanti, & equo nondum consignato, tu moriari, tuus haeres: equum consignare Petro debebis, non ex vi iuramenti, quia nunquam tuus haeres iuravit, sed ex vi contractus emptionis, & venditionis: obligatio enim, seu ius contractus, cum sit fundatum in iure acquisitò à parte, sique obligatio iustitiae, ad Successores non transmittitur. Idem dicendum in omnibus iuramentis acceptatis ab alio, ex quibus alteri ius iustitiae acquiritur. Exemplum posterioris est: Si sit in Civitate lex solvendi gabellas, tuusque Pater promiserit cum iuramento eas solvere, eo defuncto, tu non ex vi Religionis, sed ex vi legis, & statuti universalis solvere debebis, etiam si Pater tuus non iuraverit, ut ex se constat.

4. Atque hinc fit, ut, si in aliquo casu solum urgeat ius iuramenti, nihil debeat tuus haeres. Ita idem ibid. v.g. cum iuramento extor per metum latroni, vel usurario acceptanti promissisti pecuniam, te mortuo: non obligatur haeres tuus solvere, quia non obligatur ex vi iuramenti, ut dictum est, nec ex vi statuti, quia nullum statum invenitur, per quod obligetur latronibus, & usurariis pecuniam erogare; nec denique ex vi contractus, quia nullum ius iustitiae acquirit latro, vel usurarius in pecuniam alienam.

5. Dices, si quis Deo iuraret, se velle dare pauperi stipendium, v.g. aurocorum, deberet haeres, eo defuncto, dictam elemosinam erogare, &c. tamen Testator solo vinculo Religionis tenebatur.

Respondet Sanch. ibid. num. 3. id ita esse, quia Deus illi votum, vel iuramentum sibi factum ad utilitatem pauperis acceptavit, ut pars contrahens: quare praeter vinculum Religionis, adest ratio contractus, atque adeo iustitiae.

6. Non placet haec responsio Castro Palagio, quia non apparet, nisi gratis dicatis, adest talis contractus, seu Deum hic se habere ut contrahentem, & acceptantem, idè docet id esse, quia ius Canonicum, & Civile statuit hereditatem à Successore non adiri, nisi sub conditione exequendi vota, & iuramenta realia defuncti, quae non sunt per iuramentum extorta: Quod autem id statuerint iura probat ex aliquibus textibus c. licet de voto, c. si haeres, de testam. & praecipue ex c. ex parte, de Consensu, ubi id expresse deciditur: & clarè in l. 2. ff. de pollicitationibus, ubi: Qui decimam partem bonorum vorit, si decesserit ante iuramentum, haeres eius hereditario nomine decimis obligatus esse: Poti enim obligationem ad haerem transire capit. Aliqua huc pertinentia adduntur, cum de voto, infra, cap. 11. §. 4.

7. Quoad posterius, breviter dic, certam esse sententiam; obligationem, quam contrahit, iurans servandi ius iuramentum, (nisi contrarium expressum fuerit in iuramento) contrahere etiam & servandi tuo haeredi, seu Successori. Si, v.g. iuravit quis fidelitatem Regi, hoc mortuo, ejus Successori eandem fidelitatem sine novo iuramento debet. Ita Layman. lib. 4. tract. 3. cap. 10. num. 5. & passim. Ratio, praeter multos textus, est, quia Successor substituit ipse omnia iura eius, qui praecessit, seu eius, cuius est haeres.

potest jurare se rem nescire, intelligendo ita, ut teneatur illi iudicio subdere, vel quid simili.

3. Hinc, si quis licet aliqua bona abscondit, v. g. a fisco, eo quod illis indigeat ad vitam sustentandam, non solum ipse, sed etiam alij, sive rogati, sive ex se, si tamen indigentia iis constet, possunt equivocando, testificari illum nihil abscondisse: Iudex enim non legitime procedit, si velit fisco applicare bona externa alteri necessaria: quod si hac excludit, ut excludere certe praesumendus est, iam testes ad ejus sanam mentem cum veritate respondent.

Hinc non solum ipse reus, si v. g. sit Clericus, sed etiam alij possunt jurare cum equivocatione coram iudice iudice, Clericum non deliquisse, intelligendo ita, ut obligentur id coram seculari deponere, quia hic illegimus est, quoad Ecclesiasticos.

4. Immo obligabitur testis aliquando sic equivocare. Solet afferri exemplum de eo, qui Judici peccatum omnino occultum rei manifestavit: is enim tenetur testificari coram eodem, reum non commississe tale delictum, intelligendo ita, ut sitis externo iudicio: quia si speret se profuturum, reparare sic, iuste poterit damnum iniuste ablatum: ita Sanchez in Dec. lib. 3. de iur. c. 6. num. 28.

§. III. An idem liceat Reo.

1. Si non legitime interrogetur, posse reum cum equivocatione negare crimen a se commissum, certum apud omnes est: ita Sanchez in conf. lib. 6. cap. 3. d. 29. de Lugo de iust. tom. 2. disp. 40. sect. 1. numer. 1. Joan. Sanch. in select. d. 43. alijque ab ipsis cit. suffragantur enim eadem, quam modo diximus §. precedente, num. 1.

2. Hinc excusant communiter Doctores loc. cit. & Sanchez in Dec. lib. 3. de iur. cap. 6. & Castro Pal. tom. 3. tract. 14. d. 1. de iur. cap. 7. Reum negantem cum equivocatione crimen, si Iudex procedat contra leges, si semiplena contra ipsum reum probatio non est, si suspensa sit Iudicis potestas, si per appellationem, si quia is est excommunicatus denunciatus nominatim, vel notorius Clerici perculsor. Hinc excusant negantem se quid commississe, quod sine culpa commisit; ut si inculpabiliter, putans feram, hominem occidit. Hinc excusant negantem se vendidisse pluri, quam sit taxa iusta, cum vendiderit tamen iusto pretio. Hinc excusant negantem aliquam circumstantiam, seu iudicium criminis, quod crimen ipse non commisit: ut si interrogetur, an per illam viam transierit, per illam urbem, ubi est cadaver, cum tamen ipse transierit: vel an ingressus sit domum meretricis occisae, quamvis ingressus fuerit; sed tamen non occiderit. Hinc excusant negantem se debere quidpiam alteri, si verè nihil debeat, quamvis appareat instrumentum, vel scriptura, in qua debeat. Hinc excusant negantem se promississe aliquid, quod verè cum iuramento promisit, etiam si sint sponsalia, & ex aliquo capite ea promissio, seu sponsalia non obligent. Hinc excusant negantem se adulterium commississe, cum occultè commiserit. Haec, & similia cum equivocatione jurando reguntur: nec cuique licet, quia vel iudex, contra leges procedendo, superior non est; vel etiam si procedat secundum leges quoad praesumptionem externam, unde ipse non peccat; Reus tamen ius habet respondendi juxta rei veritatem, atque adeo semper ad mentem boni, & iusti Iudicis respondebit.

3. Jam si legitimus est iudex, legitimèque per semiplenam probationem interrogetur, unde reus ex nullo capite ex his excusari videatur à fatenda veritate, celebri questione quaritur, An ob periculum vitae, quod sincerè respondendo, subit, possit excusari, atque adeo ipsi negare veritatem cum equivocatione liceat?

Non excusandum, quamvis imminet vitae discrimen, docet Sanchez in conf. tom. 2. lib. 6. cap. 3. d. 29. & d. 33. S. Thom. Sylvest. Navarr. Sor. alijque permulti apud cun-

dem, & apud Joan. Sanchez, in sel. max. cit. praesertim antiquiores. Ratio potissima est, quia inter partes iustitiae potissima est obedientia, quae tenetur quis obedire Superioribus iuste & legitime praecipientibus: sed jam supponimus legitime praecipere, idque jam noscere reum: unde excusari poterit à parendo? Adde non vulgare Reipublicae detrimentum fore, si talis obligatio fatendi crimina negaretur: passim enim hac impunitatis spe grassarentur maleficia.

4. Duo tamen hi Doctores notant: Alterum est ad hoc, ut reus teneatur sine equivocatione respondere (de reo loquimur, non de teste, de quo alia est ratio videnda, placet apud citatos de Lugo de iust. tom. 2. d. 40. sect. 1. num. 8. d. 39. sect. 2. numer. 14. Thom. Sanchez in conf. tom. 1. lib. 6. cap. 3. d. 36.) requiri prius infamiam, vel infamia contra ipsum esse legitime probata in processu, saltem per semiplenam probationem, quam sine dubio facit unus testis idoneus de visu, & item requiri, ut id totum ipsi reo sit notificatum. Ratio est, inquit, Sanchez in conf. lib. 6. cap. 3. dub. 32. quia secus potest reputare reus suum crimen esse occultum, & sic excusari à fatenda veritate: & quia (inquit Sor. apud Sanch. loc. cit.) sicut nemo tenetur ante legis promulgationem legi obedire, ita nec tenetur Judici, antequam notificet se iudicem interrogare.

Alterum est: si forte quis veritatem Judici occultavit, non obligat ad se coram Iudice retractandum, sive fuerit absolutus, sive fuerit damnatus, sive adhuc iudicium pendeat, sive non sic Sanchez in Dec. lib. 3. de iur. cap. 7. n. 8. Ratio potissima est, quia esto tegendo suum crimen peccaverit contra obedientiam: tamen huic crimini satis medebitur, si illo rite doleat. &c.

5. Sed jam alij recentiores, ut de Lugo l. c. n. 15. Joan. Sanchez in sel. d. 43. a num. 23. cum Doct. viginti duobus, post accuratam discussionem, advertentes onus esse supra naturam viris difficile, reum obligare ad inferendum testimonium capitale contra se ipsum, docent probabilissimum esse, & tutum, reum minimè obligari ad fatendum crimen suum, unde tantum malum sibi parari videat: potissima ratio illa mihi videtur, quia nemo obligandus est concurrere ad se ipsum occidendum, cum sit de jure naturae, non solum vitam sibi tueri, sed etiam ad mortem suam, quantum quis potest, non concurrere, Adde esse doctrinam communem, rem multum difficiliori reputari moraliter impossibilem, ad quam praecipendam nulla potestas humana utendi possit: at praecceptum de dicenda hac veritate, quam nunc tradit reo Iudex, humanum est, & positivum: ergo non se extendit ad rem tam difficilem, quales est ea confessio, quae reo mortem parat.

6. Hinc solvitur ratio adversariorum n. 3. allata; in re enim tam ardua Iudex Superior non est: quod si is solet agere, ideo est, quia sequitur contrariam opinionem, quae saltem ob auctoritatem Doctorum probabilis est: ita Joan. Sanch. in sel. d. 43. n. 34.

Ad id, quod additur, negandum est periculi bonum Reipublicae, alia enim via, nempe inquirendo testes, & incutiendo omnem torturam reo, ut fateatur, potest fieri Reipublica, sine necessitate obligandi reum sub mortali: & certè patet experientia, nihil adhuc profuisse timorem peccati per tot annos, in quibus opinio prior passim evulgabatur; de qua testatur de Lugo tom. 2. de iust. d. 40. sect. 1. num. 6. Quotusquisque enim fuit ille, qui ob ejusmodi peccati timorem suum crimen aperuit? Adde non esse certum quod ego bono communi, ad quod non teneor ex stipendio, seu ex iustitia, obliget mortem subire, de qua re alibi, interim lege Joan. Sanch. in sel. d. 43. n. 4.

7. Doctrinam hactenus à nobis allatam limitant citati Doctores, asserendo posse à reo negari sub equivocatione crimen, modò aliqua tandem eluceat spes effugiendi mortem: secus enim negatio (aunt) esset inutilis, si ipse nihilominus convictus esset, & cerè damnandus. Ego verò censo, etiam nulla elucente tali